

## DE PRECARIO ET DE SALVIANO INTERDICTO.

### 8.9.1

*Imp. Gordianus A. Aristoni.*

Si te non remittente pignus debitor tuus ea quae tibi obnoxia sunt venumdedit, integrum tibi ius est ea persequi, non interdicto Salviano (id enim tantummodo adversus conductorem debitoremve competit), sed Serviana actione vel quae ad exemplum eius instituitur utilis adversus emptorem exercenda.

*PP. VI id. Sept. Pio et Pontiano cons.*

[a. 238]

### 8.9.2

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Fabricio.*

Habitantis precario heredes ad restituendum habitaculum teneri contra eos interdicto proposito manifeste declaratur.

*S. k. Dec. Sirmi AA. cons.*

[a. 293]